

UM  
RUM  
E  
EINZIA  
UM



DIVITIARUM  
EVANGELICARUM

*Disquisitio XLII.*

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Hallensis

Rectore

*Respondente*

JOHANNES ROCH SOLTQ. Marchico

*Dominica IX. post Trinitatis.*

*A. O. R. clv. lcc. III.*



HALLIS SAXONUM

*Prelo Heredum Melchioris Oel-*

*schlegely*



VIRIS

*Humanis simis, virtutis & doctrinae splendore Clarissimis, vitaeque integritate spectatissimis*

○ **DN. M. DANIELI BLUMENTHALIO, Ecclesiae Neo-Soltquellensis Antistiti vigilantissimo, Confessionario quondam dignissimo, Praeceptorique meritissimo,**

○ **DN. JOHANNI GEORGII ludi Neo-Soltquellensis Moderatori dignissimo, vigilantissimo, Praeceptorique olim fidelissimo.**

*Haec disputatorias primitias in perpetuam debita gratitudinis refectionem, & continuandi favoris atque amoris incitationem*

offert

Respondens



ANALYSIS

EVANGELII

DOMINICA XI. POST TRINITATIS.

Luc. 18. à vers. 9. ad 15.

PRÆLOQUIUM.



altes habet in Psal. 137. v. 3. Deu in altis habitat. & humilia respicit. Unde superbis resistit, quod Petrus ait 1. Pet. 5. v. 5. hu-

milibus autem dat gratiam. Præter infinita exempla habemus illustre in Evangelio.

THESES.

1. In quo Pharisei & Publicani descriptio, illius tanquam superbi, huius tanquam humilis, ubi occasio est, quorundam elatio. v. 9. in quo effectus quoad causam efficien-

Z

tem :



tem: Dixit autem. Quae verba nos ad antecedentia remittunt, & scopum ostendunt; uti patet ex consequentibus, quod loquatur textus de Christo. Docuerat quippe in precedentibus semper orandum esse: quia vero inter orandum duo imprimis impedimenta obijciuntur, nempe fiducia propria sanctitatis & diffidentia indignitatis, contra utrumque, quae sequuntur, Christus dixit. Ut discamus potissimum in informando observare circumstantias.

2. Et causa materialis in genere: ad quosdam. Non ad omnes, quia non omnes laborant istis vitiis. Ut discamus praecipue eò respicere in informando, quò succurramus errantibus.

3. In specie respectu Phariseorū: qui in se confidebant quòd essent iusti. Ubi notantur elati & tumidi Pharisei, aliis omnibus se preferentes, & ex suis bonis operibus iustos se reputantes: dum sunt partim arrogantes divinitatem qui affectant, uti Nebucad Nezar Dan. 4. v. 27. uti & dives ille colonus Luc. 12. v. 18. uti Iudei Os. 2. v. 8. deinde iactantes & gloriantes. At superbia anx aegritudinum, quae Deum petit bello, quae ad naturam pertinentia ignorat, quae Diaboli morbo iactatur: quae virtutis cursus inutilis efficitur; & si universas in

me,

medium virtutes representes, exstinguit earum faces ingruens fastus, uti monet Basilus Seleucienis orat. 35.

4. Respectu aliorum: Et aspernabantur ceteros. Ac si alii homines essent nihili & ipsi soli volitarent, reliqui sicut umbra. Quod quam grande sit vitium scriptura testatur Jud. 5. v. 18. Rom. 14. 4.

5. Modus: Parabolam istam. Libenter enim Christus us utitur ad mysterium insinuanda aut requirenda veritatis, ait August. 1. 2. quæst. Evang. u. 45. Et tunc per fenestras, habet Justus Episcopus in Cantic. num. 38. & cancellos prospexit, quando plebem in parabolis docuit.

6. Et parabolæ narratio, conjunctim; ubi ad templum utriusq; gradatio. v. 10. in quo summatim quoad subjectum: Duo homines. Non quidem Epicurei & impii, sed devoti & religiosi, habentes eundem cultum & eundem Deum.

7. Et effectum quoad locum: Ascendebant in templum. Hierosolymitanum per Synecdochen. Ibi enim erat locus in V. T. orationi destinatus. Ascendere autem dicuntur, quia situm erat in monte. Ut discamus, si velimus templum adire, etiam ascendere cogitationibus.

S. Et quoad finem: ut precarentur.  
 Quia habebat illud amplas precum exaudi-  
 tionis promissiones I. Reg. 8, 63, Eia. 56, 7. pro-  
 pter arcam foederis & propitiatorium; quia  
 erant inibi typi Messie, à quo, in quo & per  
 quem omnes exaudimur Joh. 6, 11. Is enim usus  
 est templorum, uti patet ex Eia. 56, 7. Non  
 quidem quasi parietes Christianum facerent,  
 quod Victorianus Rhetor Romanus dice-  
 bat; Sed quia publica confessio constituit ac  
 decet Christianum, uti respondet Simplicia-  
 nus. Et quamvis domi orari possit, ait Chry-  
 sol. hom. 29. de oratione. sic autem, ut in  
 Ecclesia, non potest, ubi tanta patrum multi-  
 tudo, ubi clamor ad Deum unanimiter emitti-  
 tur: Hec enim majus aliquid est, puta unani-  
 mitas & consonantia, charitatisq; vinculum,  
 & sacerdotum orationes. Alioquin cultus &  
 invocatio Dei ad certum locum non est alliga-  
 ta Joh. 4, 21. Ideoq; omni loco I. Tim. 2, 8. ju-  
 bebimur orare: in cubili Matth. 6, 6. in lectulo  
 Eia. 38, 2. in cruce Luc. 43, 42. in ceno & la-  
 ce Jer. 38, 6. inter feras in foveis Dan. 4, 22.  
 in ventre ceti Jon. 2, 2. Ne ergo nos excusemus,  
 inquit Chryl. hom. 31. de cruce, dicentes quod  
 non est facile quempiam orare secularibus ne-  
 gotiis implicatum, prope se non invenientem,  
 domum



domum oratoriam; nam ubicunq; sis potes altare tuum constituere, nihil enim locus prohibet, nec impedit tempus. Ubicunq; sis ora, habet idem, templum es, ne locum queras. Non est querendus locus, sed loci principium si mentem mundam habeas ab immundis motibus, licet in foro sive in via sis, sive in mari, sive in diversorio, seu in officina positus, seu ubicunq; DEO poteris invocato, petitionem obtinere.

9. Explicatur respectu lectæ & vitæ professionis quoad clericum: Unus Phariseus. Qui erat virtutis magister, legis explicator, lingua & cathedra Moysis successor, uti habet Basilii Seleuciensis orat. 35. Pharisei enim scientia clavem sibi vendicabant, vitæ sanctimoniam iactabant, ut patet ex Epiphani. l. 1. c. 15.

10. Quoad laicum: Alter Publicanus. Qui quidem homo Iudæus ortu, sed exosu propter exactiones: quia erant omnis malitiae receptacula, viventes ex lachrymis pauperum secundum Theophylactum in Luc. c. 19. Quamvis apud Romanos in magna existimatione fuerint, uti habet Cicero in Oratione pro Plancio. Unde desperata salutis hominem ita vocabunt. Et dicitur in Ecclesia semper esse pios & malos Hypocritas.

Et per duos homines, Phariseum & Publicanum, hoc latius accipientes, inquit August. in Psalm. 74. intelligimus duos populos Iudeorum & gentium. Iudeorum populus Phariseus ille, gentium publicanus ille.

11. Distinctim de Pharisei jactatione, ubi malorum negatio. v. 11. in quo situs: Phariseus stans. Vel ad altare, vel ad sanctum sanctorum, oculis atq; ore obversus cum Deo sermocinabatur, inquit Basilus, forte & in nubes propemodum se raptum in i. expectabat, ut cum Deo in caelo colloqueretur.

12. Et modus, summam: Hæc apud se orabat. Id est intra se & animam suam, ut Syrus habet, seu meditabatur, uti usurpatur Psalm. 14, 1. Esa. 59, 13. Luc. 12, 20.

13. Explicatim per positionem quoad objectum: Deus. Ut qui solus est adorandus Matth. 4, 10. ut qui solus Dominus iure creationis Gen. 1, 27. iure redemptionis 1. Petr. 1, 19. iure sanctificationis Rom. 4, 18.

14. Quoad modum: Gratias ago tibi. Uti debetur 1. Thess. 5, 18. Psalm. 50, 23. & habentis quidem recte.

15. Et per remotionem in genere, per comparisonem dissimilium: Quod non sum ut ceteri homines. Nun. perdit gratiarum

rum

rum actionis exordium; sed dixisset saltim, sicut multi homines. Quid est ceteri homines, inquit Augustinus serm. 36. de verbo Domini, nisi omnes praeter ipsum? Atq; ita non tam sua sanctitate, quam alienorum morborum comparatione gaudebat, habet idem, Homil. 50. At dum in se singulariter exultat, aliis arroganter insultat, inquit Bernh. de grad. humil. Phariseus se solum decipit, quem solum excipit, dum ceteros damnat, se omnium loco statuit; Et omnes praeter ipsum reliquos in nullo numero habet quasi diceret: Non habes justum alterum in terra, ego tibi solus virtutis thesaurus, deserta esset a justitia terra, nisi ego hanc calcarem. Sed o linguam tyrannicam! qua Bernhardus adco offensus est, ut iracundus exclamavit: Si non vis esse ut ceteri hominum, esto ut ceteri Demonum. Et merito: Omnes enim declinaverunt Psal. 14. Omnes carent Dei gloria Rom. 3, 12. David deprecatur Dei iudicium Psalm. 143, 2. Iob fatetur se respondere non posse c. 9, 3. Hic autem gratias agit, non quia bonus, sed quia solus bonus. seipsum universo orbi praeferebat Isidorus, lib. 3. Ep. 188.

16. In specie per laudationem quoad  
7. praecipuum violentes: Raptores. Qui  
Z 4 crane

erant tunc ut nunc temporis, frequentissimi  
 Verum qui spoliat vicissim spoliabitur Eia.  
 33. 1. nec hereditatem Dei possidebit Gal. 5.  
 19. Et si in ignem immittitur. ait Augustinus  
 lectm. 20. de veris Domini, qui non dedit  
 rem propriam unquam, etiam non emittendus erit,  
 qui in vase rem alienam. Et si poenam incurrit  
 qui clanculum auferit, multo maioris poena est  
 violenter eripere.

17. Et fraudulenter: Injusti. Qui de-  
 ceipiunt iustos in via mala sed cum iudicio suo  
 corrumpent, disperibunt Plal. 5. 5. Et mercedem  
 iniustitiae percipient 2. Petr. 2. 13. nec regni Dei  
 hereditatem possidebunt Gal. 5. 19.

18. Quoad 6. praecipuum: Adulteri.  
 Quia haec est voluntas Dei sanctificatio nostra  
 1. Thess. 4. 4. quia fugienda scortatio 1. Cor. 6.  
 16. quia melius mori quam libidinibus macu-  
 lari. ait Hierod. de contemptu mundi. Certè  
 adulteros & scortatores odit Deus Hebr. 13. 4.  
 dimittet eos ad infernos Prov. 2. 18. nec posside-  
 bunt regnum caelorum 1. Cor. 6. 9.

19. Et per exemplificationem transe-  
 undo ad hypothesin: Velut etiam hic publi-  
 canus. Ac ita vel publicani presentia rapitur  
 in alimentum superbiae, neque arrogancia secum  
 conredientem ab accusatione liberum prae-  
 misit.

missit. Phariseus pro supplici iudex advenit. Et cum Deo iudicandi publicani paries arripuisse videtur. Basilus orat 35. Non ergo didicit aut observavit illud Siacidis 3, 6. homini à peccato redeanti probrum ne objicias. Sic Gaal Abimelechum culpavit Jud. 9, 28. Simon peccatricem Luc. 7, 19. Pharisei & Scriba adulteram Joh. 8, 3. Sed quibus mali placent ab unione, habet August. Epist. 162. ipsi communicant malis: quibus vero mali displicent. Et eos emendare non possunt, non factis eorum, sed altari Christi communicant. Proinde in aliorum periculis & peccatis cogitemus nos ipsos: & sicut nobis subveniri optamus, ita eis pro viribus subveniamus; aut si facultas defuerit, voluntatem subveniendi teneamus, habet Prosp. l. 3. de vita contemplat. c. 15.

20. Et bonorum præstatio. v. 12. in quo partim temperantia: jejuno bis in Sabbatho. Per synecd. sumitur pro hebdomade, quia est principalis septimane dies. Et quia jejunium erat Lev. 16, 21. indictum à Deo, Numer. 29, 7. tamē in quavis iste septimana bis se jejunasse asserit. die Martis & Veneris, sicut Theophylacto credimus quod non erat præceptum. Non quasi jejunia non sint necessaria, cum sint à Deo mandata, 1. Sam. 7, 6. exemplis confirmata,

Matth. 6. 2. Corinth. 6. 5. Act. 15. 29. Rom. 13. 14. modo non sint superstitiosa, sed pura, simplicia, casta, moderata, ut habet Hieronymus ep. ad Nicotian. Magnum tamen & generale jejunium est abstinere à delictis & illicitis mundi voluptatibus August. tract. 17. in Joh.

21. Et quoad liberalitatem: Decimas do omnium, quæ possideo. Decime etiam erant mandata Exod. 22, 29. quas quotannis præcepit dare severè Deus Lev. 17, 30. Malach. 3, 10. Et, inquit Augustinus serm. 219. de tempore, si decimas dederis, non solum abundantiam fructuum recipies, sed & sanitatem corporis consequeris. Contra Hieronymus in cap. 3. Malach. quia non reddidistis decimas & primitias, idcirco in penuria & fame maledicti estis; quia dum parva subministratis, ubertatem professionum vestrarum & totam abundantiam frugum perdidistis. Et Augustinus: Decimas negas dare? quid faceres, si novem partibus tibi sumptis, tibi decimas reliquisset? quid a vidè supputas? novem tibi partes detractæ sunt, quia decimam dare noluisti. Hæc est Domini justissima consuetudo, si tu illi decimam non dederis, tunc ad decimam revo-  
ceris, dabisq; impio militi, quod non dedisti sa-  
cerdo-

cordori, habet in serm. de decim. temp.  
 Quia verò iste Pharisaeus tanquam debitori  
 Deo debuit memoriam refricari, non probatur,  
 ait Seleucienf.

22. Et publicaniratio. v. 13. in quo  
 subjectum ratione professionis: Publica-  
 nus. Qui quales fuerint iam ante notatum. Et  
 dum lucro dediti, in sabbatho, nihil lucrari  
 poterant etiam templa adibant. Ut discant ta-  
 les cultum non negligere divinum. Qui enim  
 aliàs in sabbatho lucrantur, cuncta perdunt.  
 Hagg. 1. 10.

23. Ratione locationis: stans procul.  
 Non quemadmodum quidam voluit pro exi-  
 stens, ac sicriam flexis genibus orasset, usurpa-  
 tur; sed stetit revera fugam quasi capeffurus  
 Exod. 19. 16. Siquidem irreverens est assidere  
 sub cōspectu ait Tertull. de orat. c. 11. contra q̄  
 conspectum eius, quem cum maximè verearis  
 atq̄ venereris; quanto magis sub conspectu Dei  
 vivi. Angelo adhuc orationi astante, factum  
 illud irreligiosissimum est, nisi exprobamus  
 Deo, quòd nos oratio fatigaverit. Procul verò  
 dicitur, quia templi quaedam porticus exterior  
 fuit, in qua alienigenis & peccatoribus fuit  
 manendam 1. Reg. 8, 41. ut testatur Josephus  
 l. 2. contra Appionem. Simulq̄ peccati natu-  
 ra

ra ipsum separavit à Deo Esa. 59, 2. Et scelerum conscientia ulterioris accessu libertatem adimebat, ait Basil. Seleuc. At quamquam à longinquo stabat, ait August. de verb. Dom. serm. 35. Deo tamen ipse appropinquabat conscientia eum removebat, applicabat pietas. Publicanus de longinquo stabat, sed Deus de propinquo eum attendebat. Phariseus quidem, habet August. idem in Psalm. 31. contempsit de longè stantem, cum Deus confitenti propinquabat à longinquo stabat, quia Deus est propè his, qui cor contriverunt.

24. Et effectum negativè à gestu: Non audebat oculos attollere. Ne scilicet in eo ipso, quod habet Eusebius Emyssenus super hoc Evangelium. Deum offenderet, quod ad sedem è tanta voragine peccatorum respicere presumpsisset: novit enim confusionem faciei sibi deberi Dan. 9, 7. Quare cælum non attendebat? quare Augustin. in Psalm. 31. quia se attendebat, ut sibi primò displiceret, Et sic Deo placeret; ut aspiceretur non afficiebat: respicere non audebat, premebat conscientia, spes sublevabat. Etenim, ait Tertull. de orat. c. 13. cum modestia & humilitate adorantes, magis commendamus Deo preces nostras. Ne ipsis quidem manibus sublimius elatus, sed probe &



bè & temperatè elatis. Ne vultu quidem in  
audaciam ere. &c.

25. Affirmativè quoad factum: Sed  
percutiebat pectus suam. In signum cordis  
contriti spiritus humiliati, & ob peccata con-  
triti. Meruò autem pectus quatuebat, inquit  
E. nissenus, quia inibi peccaverat, dum eor  
fons malarum cogitationum Matth. 15, 19.  
dum lapideum Ezech 36, 26. Atq; ita pœnæ  
a seipso exigebat, ut ait Augustin. serm. 36. de  
V. D. propterea Dominus confitenti parcebat,  
& tussio pectoris & contritio cordis placebat.  
Ita stat à longè & ecce Dei timor! non audeat  
attollere oculos, & ecce dolor! addit Lyranus,  
que verè ac seriè contritionis signa. Ut disca-  
mus modestè orare, iubemur aperire caput  
1. Cor. 11, 4. oculos eleuare in cœlos ut Iosaphat  
& subditi eius 2. Chron. 20, 12. Lachrymas  
profundere, ut David, Psalm. 6, 7. Hukias,  
1. Reg. 8, 12. ut Salomon, 2. Par. 6, 13. ut Petrus,  
Luc. 5, 8. In terram procumbere ut Abram,  
Gen. 18, 27. ut leprosus Samaritanus, Luc. 17,  
16. Alii oculos dimisere, Esai 9, 6. mulier  
peccatrix, Luc. 7, 38. percusserunt pectus Luc.  
23, 48. procul steterunt Ez. 34, 10. Non qui-  
dem est de necessitate simplici, sed de honesta-  
te. Aliàs, quod habet Chrylost. Hom. 79. de  
orat.

orat, licet genua non flectas, neq; percussas pedibus, nec in coelum manus attollas, si mentem modo ferventem exhibeas, orationis perfectionem consummaveris. Nec enim iam voce opus est, quam cogitatione, neq; manus extensione, quam animi intensione. Et ibidem: Si corpore humi prostrato, & ore incassam nugante, mens totam domum & forum circumbeat, quomodo talis dicere poterit, quod in conspectu Dei precatus sit? Et quid iuvat corpus humi sternere, & cor superbum tollere? Quid iuvat digitos in manu complicare, & mente totum forum permeare?

26. Quoad verba, in quibus habetur obiectum: Deus. Et ita altera pars poenitentiae seu fides apparet; quasi dicat; Benefacta, quae mihi patrocinantur, habeo nulla, omni ex parte sceleribus convulneratus sum, iniquitatum fluctibus circumvenior, video vitiorum meorum maria. Quis meis malis erit medicus? quo confugiam? Sc. Deum aspiciam. in quem blasphemias jacere pro deliciis habui? unicum duntaxat invenio miseriarum mearum remedium ad misericordiam confugiens, ait Basilii Seleuci, d. l. quia Deo soli peccaverat, & matum coram ipso fecerat Pl. 51, 6.

27. Et effectum absolute: Propitius esto.

esto. Nam in legis rigore se non consistere posse satis intelligebat. Ideoque ad propitiatorium confugiebat, quod nobis Deus in sanguine filii proposuit Rom. 3, 25. ut qui solus ἱλασμός 1. Joh. 2, 2. Quasi dicat: Noli, o iudex, Pharisaei de me sententiam sequi, noli me cum hoc fastuoso abominari, iustum agnosco procreatorem, eum nolim iudicem, humilitatem tantum requiro peccatis meis salutare. Ita etiam prodigus Luc. 15, 19. filius fecit. Propterea non desperandum, sed ad Deum confugiendum Psal. 103, 13.

28. Comparatè: mihi peccatori. Et ita sui ipsius vituperium, ait Nilus decade aureotum parænet: est salutis initium. Monstrat vulnera, ut Deus sanet: aperuit, ut operiat. Sic ipse, ut ait Ardens, sine excusatione se excusat, sine exceptione se humiliat sine aliqua sui presumptione de sola gratia veniam sperat. Ut discamus equè confiteri peccata nostra. Qui enim occultat non dirigetur. Prov. 28, 13. Solut enim criminum nexus verecunda peccatorum confessio, ait Ambros. l. 2. de pœnitentia c. 6. In tribunal tuae mentis, mouet Augustinus serm. 19. de verbis Apostoli, ascende contra te, & reum constitue ante te, ut Deus te ponat ante se. Non enim patitur confusi cordis

dis holocaustum repulsam, habet Cyprianus  
 ferm. de cœca Dom. Quin apud Deum piura  
 iudicem ipsa agnitio culpa est impetratio ve-  
 nia, habet Bernhardus in editat. devotissima  
 cap. II.

29. Et Christi sententiæ declaratio:  
 v. 14. in quo adhibita comparatione impa-  
 rium & dissimilium ab effectu ratione ju-  
 dicii: Dico vobis. *Auisti Domine, ait*  
 Augustinus Homil 44 *controversiam, pro-*  
*me sententiam!* Quid tandem verò, qui omnium  
 supplicationes cognoscit, quid ait iudex audi-  
 tor viriusq;? videamus quam ferat sententiam  
 ut licet animat inter afflictum dejectumq;  
 peccatorem, & iustum sese magnifice iustan-  
 tem.

30. Et ratione rei, absolute: Descen-  
 dit hic justificatus. Descendit autem non in  
 telonium, habet Emissenus, sed in domum.  
 A quo? à templo, & à Deo justificatus. Ita  
 gratis justificatur, cum opera bona haberet  
 nulla, sed tantum desideraret propitiationem.

31. Comparatè: Magis quàm ille. Non  
 quidem quasi etiam Phariseus justificatus, sed  
 quia potius quàm ille, ut Syrus habet; siqui-  
 dem justificatio non admittit gradus; & quia  
 alias Epiphonema non potest applicari, sed uni-  
 versis

versus est ordo. Apparuit publicanus iustior  
 Phariseo iusto, idq; iusti iudicis iudicio. Com-  
 mutata rerum est natura: in altum fastu ela-  
 tus desicitur; ad ima vergens per sententiam  
 erigitur. O publicanum, exclamat Basilus,  
 clementia mercatorem! o publicanum, qui de  
 portu felicitatis recte vectigal petit! o peccato-  
 rem, qui ad libertatem peccatoribus viam ape-  
 ruit! docuisti vectigalium redemptionem iu-  
 stitia valentiorum; non desisti vectigal posce-  
 re, dum Christum ipsum vectigalem fecisti. Et  
 ita meliora inventa sunt peccata cum humili-  
 tate, habet Optatus Milevitanus l. 2. quam  
 innocentia cum superbia. Magisq; iustificatus  
 descendit de templo publicanus ille peccato-  
 rum confessione sollicitus, ait Augustinus ser-  
 50. quam Phariseus meritorum enumeratio-  
 ne securus. In rebus quippe visibilibus, ut ex-  
 celsus quisq; contingat, in excelsum exigitur.  
 Deus autem, cum sit omnium excellentissimus  
 non elatione, sed humilitate contingitur. Idem  
 habet Ambrosius in Psal. 118. serm. 20. Sed,  
 ait Iliodorus l. 3. epist. 278. vehementer tibi  
 mirum videri dixisti, quidnam sit causa,  
 quamobrem Phariseus ob verborum arrogan-  
 tiam Deum offenderit; Job verò, qui plura et  
 sublimiora dixit, gloriam assecutus sit. Audi  
 a a bre-


breviter ; Phariseus ille, quia nemine concitante ac stimulante magnifica de se prædica-  
bat, merito in Dei offensionem incidit, siqui-  
dem superbia morbo laborabat: at qui in glo-  
ria & splendore est, virtutes suas occultat, cum  
autem maledictus incessitur, eas, ut illatas cri-  
minations propulset commemorat, (quemad-  
modum Jobus amicis eius animum stimulantibus  
fecit Job. 29, 14.) ab omni culpa remotus  
est, ea nimirum in eos rejecta, qui eum accu-  
sarant inique. Unde Augustinus in Psal. 31.  
concione secunda. Erat & Phariseus pec-  
cator quod si sine ullis peccatis fuisset, ipsa su-  
perbia grande crimen erit. Habebat ergo ille  
peccatum.

32. Et ratio à contrariis effectibus:  
quoad superbiam: quia omnis, qui se ex-  
tollit, humiliabitur. Nempe qui in suis ope-  
ribus in sanctimonia sua confidit, & alios præ  
se contemnit; siquidem superbia non solum  
peccatum est, sed & nullum peccatum potest  
aut poterit esse sine superbia, inquit Augu-  
stinus in lib. de salutaribus documentis c. 19.  
In superbia omne initium peccati Tob. 4, 14.  
Satan in veritate non stetit Joh. 8, 44. Evam  
seduxit Gen. 3, 4. Homo à Deo defecit per hanc  
Sic, 1. 1. Deus ipsam odit Prov. 6, 16, disper-  
git

git Luc. 1, 51. Sensit Nebucadnezar Dan. 4, 30.  
Sennacherib 2. Reg. 19, 22. Herodes Act. 12,  
23. Fugiamus itaq; dilecti, inquit Basilus, ju-  
stius affectioem. Etenim Phariseus de ju-  
sticie gradu dejectus est. Fugiamus superbiam,  
cujus viribus ipse Diabolus collapsus est.

34. Quoad humilitatem : & qui se  
humiliat, extolletur. Hoc est, qui suam indi-  
gnitatem agnoscit, ad misericordiam confugit,  
remissionem peccatorum consequitur. Et nihil  
est, ait Hieronymus epist. 14. ad Celantiam,  
quod nos ita hominibus & Deo gratos faciat,  
quam si vita merito magni, humilitate infimi-  
simus. Humiliemus ergo nos sub potenti manu  
Dei 1. Petr. 5, 6 quia susciat de pulvere humi-  
les, ut sedeant cum principibus Psal. 113, 6. De  
carcere facit ad regnum egredi Eccl. 4, 4. Sic  
Joseph exaltatur Gen. 40, 3. David 1. Sam.  
16, 13. Daniel Dan. 6, 27. Moses ab ovibus  
Exod. 3, 5. Eliseus ab aratro 1. Reg. 19, 19.  
Amos à vaccis Amos. 1, 1. Apostoli a piscatu-  
ra Matth. 4, 18. Mattheus à pelonio Matth.  
9, 9. Magnus ergò si esse vis à minimo incipe;  
cogitas magnam constringere fabricam celsitu-  
dinis, de fundamento prius cogita humilitatis,  
inquit Augustinus serm. 10. de verb. Dom.  
Esto ergò humilis! esto in humilitate fundatus,

humilitate minimum te fac, te nulli praeponas, nulli te superiorem deputes. Existima omnes superiores te esse, omnium te minimum existima inferiorem te omnibus deputa, monet Iliodorus Soliloquiorum l. 2. c. 5. Et quamvis summus sis, humilitatem tene, si humilitatem tenueris, habebis gloriam, Et tanto eris apud Deum preciosior, addit August. serm. 60. ad frat. in eremo, quanto fueris ante oculos hominum despectior. In summo honore sit summa tibi humilitas, honoris laus est humilitatis virtus.



## NOTÆ.

### I.

**C**onscenderunt ut orarent ) Considera templa esse frequentanda ; ut discas, si verè oraveris, te posse justificatum descendere de templo.

### II.


**P**ectus percutiebat ) Considera devotionem cordis aestimari ex situ corporis ;



ris; ut discas non negligere humilitatem  
in orando.

## III.

Qui se extollit) Considera quan-  
tum malum superbia; ut discas su-  
perbiam vitare, & humilitatem sectari.



## CASUS.

An sit convitium alicui obje-  
ctare crimen verum?

Videtur 1. Quia hic publicanus de-  
scendit justificatus magis quàm Pha-  
riseus Luc. 18, 14. Ergò non amplius publi-  
cans.

2. Siracides: Non exproba aliis  
peccata de quibus pœnitentiam egerunt  
c. 8. 6.

3. Christus ipse recipit peccatores  
Luc. 15, 2. & Paulus precipit Gal. 6, 5. quò  
lapsis succurramus. Et Basilius in 14. Ps.  
neq; enim qui peccat probris venit inse-  
ctandus ait.

An 3

4. Ju.

4. *Fura l. si non convitii* 5. C. de injuriis l. 2. C. quando quibus quarta pars, ubi veritas convitii nullam prebet excusationē & l. 3. C. de offi. Rect. prov.

5. c. cū minister & c. relegantes 23. q. 5. ubi dicitur pravum animum rem efficere iniquam.

*Negatur: Quia 1. Christus vocat Pharisaeos geminina viperarum, Matth. 23, 12. Judaeos filios Diaboli, Joh. 8, 44.*

2. *Interest ut delicta puniantur* l. 51. §. 2. ff. ad L. Aquil. ne infamis & incapax ad dignitates admittatur <sup>hinc</sup> l. 2. C. de infamibus, l. eum qui nocentem § 8 ff. de injuriis. c. 1. de conjugio leproso- rum.

*Ad contraria: 1. Fall. causæ, & igno- ratio Elenchi: aliud est justificatum esse in foro poli, aliud in foro soli. Interim tamē retinet illam appellationem, & publicanus dicitur, qui titulus quā sit ignominiosus etiā apud Christum patet ex Matt. 18, 17. ubi dicitur: Sit tibi tanquam publicanus.*

2. Fall. Causæ. Siracides loquitur  
de

de remissis delictis & jam condonatis.  
 Nostra questio est de crimine vero: nam &  
 Jurisconsulti, quod semel condonatum &  
 punitum est, non amplius vel exprobari  
 volunt vel puniri.

3. Fall. Conf. Utiq; recepit, quia eor-  
 um causa venerat in hunc mundū Luc.  
 4, 18 & debemus nos omnes emendare  
 proximum, quod & Basilius voluit.

4. Fall. secund. quid. Animus inju-  
 riandi hic non praesumitur, quia injuria est  
 quod non fit jure. At qui hoc jure fit quod  
 jura mandant, nempe quo delicta punian-  
 tur ex locis allegatis. 2. illa lex si non cō-  
 vitii C. h. t. est in dubio, an punitus annon  
 quis? Nec l. 3. C. de offic. Recd. provinc.  
 agit de actione injuriarum, sed de pœna  
 adversus judices injustos & pecunia corru-  
 ptos constituenda: nam diligenter investi-  
 gādos & puniēdos esse decernit, si modò ve-  
 rē nec per libidinē effusa accusationes. l. 2.  
 C. quando & quib⁹ agit de tali convitio,  
 quod ob Reip. utilitatem objicere necesse  
 non fuit, sed injuria per detectionem pau-  
 per-

per tatis, quā aliās laboravit, illata est. Id  
 quod notandum, si enim non expedit Rei-  
 publicæ, ut si quis alium pauperem, luscum,  
 strabonem, monocutum, loripedem & c. no-  
 minaverit crimenq; punitū alicui objece-  
 rit, injuriarum tenetur, quia nemo debet  
 alteri infamiam sine causa detegere, cum  
 defectus nostros detegi inhumanum sit &  
 injuriosum l. 2. C. quando & quibus de  
 causis quarta pars.

c. cum minister & c. relegan-  
 tes 23. q. 5. loquuntur iterum de foro consci-  
 entie & defectibus remissis, non de publi-  
 cis criminibus, & nondum punitis. Videat-  
 ur Besold. part. 2. de lib. juris ex. l. 47.  
 pandect. quæst. 19. dissentientem. con-  
 tra Gail. l. 2. obs. 99. Clarius in §. inju-  
 ria. n. 15. Covarru. variarum resolutio-  
 num l. 1. c. 1. n. 6. Boerius cons. 48 n.  
 32. Farinac. l. 3. prax. crim. q. 105. in-  
 spect. 5. num. 226 Bronchorst. cent. 4.  
 Enant. aff. 77. Hill. in Donel. enuel lib.  
 15. c. 24. Berlich part. 5. concl. pract. 59.  
 n. 18. Actius d. privilegiis infirm par. 2.  
 lit. 1. Fachin. lib. 9. contr. c. 10.

NON bonus ille Cocus sua qui tantum-  
modo laudat

Jura, sed is, plures qui putat esse, bonus.  
Et sic dixit idem Iesus, confidere sueti

In se qui reliquos spernere semper amant:

Forte duo templum Solymis scandere precati,

Hic Phariseus erat, publicus alter erat.

Orans ille: Deus dixit tibi de fero grates,

Quod non sum qualis publicus iste cluit

Quod non iniustus, non raptor, quod nec adul-

Sed bis jejuno, res decimoq; meas. (ter,

Stans procul alter & haut tollens sua lumina,  
tundens

Pectus ait: mihi tu propitiare Deus!

Iustificatus at hic: quoniam, quiscunq; superbit,

Spernitur, ast humilis magnificatur homo.

Talia presentat Cocii quoq; imemata. Pergat!

Ac homini gratus, gratus eritq; Deo. Cui in

Probatae ac sedatae mentis

#### RESPONDENTI S.

Quisquis divitias decoxit crimine sacras,

Existens opibus pauper inopsq; suis

Ventosa haut iuvat hunc meriti jaectantia vani,

Sed nec opes operum, quas Phariseus habet.

Quem coquit admissi sceleris sub pectore cura

Is recoquat gazas, ô Publicane, tuas.

Quem

*Se miserum, & propriis opibus fateatur egenum,*

Divitias CHRISTI querat ametq; fide.  
Kochius hoc recoquit; si, sic velut adsolet,  
instat,

*Coctura aeternas hac sibi promet opes.*

*μεθύμωσ ἐχέδιασ*

*M. Frid. Cahlenus P. L. C.*

**C**Ede, nec in meritis operum tibi stulte  
salutem

fingito, quam confert gratia sola DEI.  
cōscia quos propter temeratae crimina vitæ  
consequiturq; dolor, nec dubitata fides.  
At tu continuis hinc sacra Magire perennās  
curis emeritò magnus in orbe clues.

*Andreas Alexandri.*

**D**E pietate loqui in iniuriam pietatibus uti  
Est opus hic vanum; cui? Phariseet, uñ.

Quippe quidē purum; aetas sine crimine peccatq;

Et tamen impurum simplice veste tegis:

Peccatore nempe Deum toto veneraberis altum:

Nam semper sancta qui pietate Deum

Concipit: à terris sursum se atcollit, ut imber

In nebulas fertur: se sociatq; Deo.

Tu facis hoc, atq; hoc alios facere insuper urges

Cælestiq; cibo pascis abunde animos:

Macte igitur pietate tua: mi pergito Koché

Hæc potes ad summi regna meare poli.

*f. Adam Senff W. M.*

02 A 572  
(1/2)

ULB Halle 3  
003 808 483



VΦ 17

EVANG.


CHRIST

HALL

Q2 C







Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19  
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

VITIARUM  
GELICARUM  
quisitio XLII.  
RESIDE  
NO GUEINZIO  
nasii Hallensis  
Rectore  
spondente  
E Roth Soltq. Marchico  
X. post Trinitatis.  
R. ch. Inc. III.  
IS SAXONUM  
um Melchioris Oel-  
schlegely

